

PROCANCELLARIVS
D. FRANCISCVS GVILIELMVS
ROMANVS
SOLEMNIA IN AVGVRALIA
CANDIDATI CLARISSIMI
CAROLI GVILIELMI MULLER
D. XIII. APRIL. MDCCCLII
CELEBRANDA
INDICIT.

Coll. diss. A
214, 27

Diss. A. 214. (27)

The image shows a single page from an antique manuscript. The text is written in a cursive Gothic script. A prominent circular library stamp is centered on the page, containing the text "Sächs. Landes-Bibl." and "Dresden". Below the stamp, the word "BIBLIOTHEK" is printed vertically. At the bottom of the page, the word "DRUCKER" is also printed vertically.





aepe circa res alioquin tritæ et peruvulgas, quoties illæ denuo expenduntur vel ad usum pragmaticum perferuntur, aliquid obseruare licet, quod vltiorem vel sensus explicationem vel veritatis investigationem requirit. Sic inter causas exhaœ redationis in Nou. 115. cap. 3. definitas, ponitur §. 2. etiam grauis in parentem iniuria: sed quænam iniuria sit grauis, adhuc disputari potest. Illa sine dubio grauis est, quæ etiam in extraneo talis foret, v. Leyser ad Pand. Sp. 357. med. 1. Sunt tamen, qui putant, grauem iniuriam non esse, nisi eam, quæ delicti contra leges patrati parentes arguit, v. Berger. Oec. Iur. p. 372. Trita res est donatio propter nuptias, et tamen circa effectum eius moralem variant Scriptores et fluctuant, v. Ludou. π. Tit. de Iur. dot. §. 10. Stryk. Caut. Contr. Sect. 3. c. 8. §. 28.

A 2

Carpz.

III

Carpz. P. 2. c. 42. def. 1. *Trita res est das Jawort, et tamen disputatum est, num idem effectus illi de sponsalibus promissioni tribuendus sit, qui sponsalibus ipsis, v. Thomas. de Pact. futur. Sponsal. Titii Spec. Iur. Eccles. L. 4. c. 1. §. 6.* Leyser. ad π. Sp. 290. med. 1. *Trita Germanorum vox est : mündig, sed aliquando maiorenem, aliquando puberem significat. Germani veteres pubertatem a maiorenitate non distinxerunt, sed omnes, qui legitimam et plenam aetatem non attigissent, nec liberam bonorum suorum administrationem nacti essent, unmündige appellaue- runt. At postquam Ius Romanum inuuluit et discrimin inter puberes et maiorennes receptum fuit, vox mündig promiscue adhiberi et aliquando de eo, qui pubes tantum, non autem, qui maiorenis est, dici cepit, Gloss Germ. Sp. Sax. L. I. art. 23. Schilt. Ex. 2. §. 25. Exserit se vis huius interpretationis in substitutione aliisque rerum argumentis, Leyser Sp. 362. med. 5.* *Trita pridemque ex principiis Romanis explicata distinctio contractuum est, in eos, qui bona fidei sunt, et qui stricti iuris. Non desunt, qui simpliciter usum illius doctrinae in foris Germanorum afferunt, nec desunt, qui melioribus rationibus negant. Nos iam de Stipulatione, quid obseruatum sit, dicemus.*

In ore omnium, qui tractant Iuris disciplinam, versatur stipulatio, in omnibus fere Iuris Romani paginis occurrit stipulatio; ex instituto vel in compendiis vel peculiari bus scriptis passim exponitur stipulatio: nihilominus tamen, velut in spicilegio, quod facere licet, *duo*, quae ad Theoriam pertinent, *vnum*, quod ad Praxin, paulo penitus consideranda animaduertimus. Primo non satis clare passim doceri videtur, in quo consistat forma illius contractus, quem verborum obligationem vocant, a Romanis praescripta. Nam vel promiscue proponuntur naturalia et positiva, vel id, quod specialiter ad solennitatem verbalem pertinet, a plerisque obscure traditur. Deinde sunt, qui existimant, ipso Iure Romano recentiore L. 10. C. de contrah. et committ.

mitt. stip. et §. 1. I. d. V. O. omnem solennitatem verborum sublatam esse. Denique Maiorum nostrorum de usu stipulationis Romanae doctrina insignem passa est metamorphosin, qua usus ille negatur.

Quod igitur ad solennitatem attinet, missis iam aliis Institutionum et Pandectarum interpretibus, exempli causa nominare sufficiet vnuin Heineccium, egregium alias Antiquatum Romanarum inuestigatorem. Hic externam stipulationis formam pactorumque et stipulationum differentiam hanc esse dicit, quod stipulationes fiant interrogatione et responsione congrua, v. Ei. Elem. Iur. L. 3. Tit. 16. §. 833. 838. et Tit 20. §. 870. i. §. 871. Quae doctrina sensus maxime ambigui esse videtur. Quid enim intelligi debet per interrogationem et responsionem? quid per congruam? si mutuus consensus seu utriusque paciscentis voluntas in idem placitum conspirans, v. L. 10. ff. d. donat. L. 55. 57. ff. de O. et A. tum naturale hoc est, non posituum Iuris Romanii; nam contradic̄tio in adiēcto foret, consensum esse, cum tamen contrahentes dissentiant in re et eius qualitate vel quantitate, nisi in continent stipulatori diuersitas placeat; neque oriri posset ius et obligatio deficiente adhuc partis utriusque voluntate. Exemplum adducit Tribonianus in Instit. Tit. de inutil. stip. §. 5. veluti, si quis decem aureos a te dari sibi stipuletur, tu quinque promittas, aut si ille pure stipuletur, tu sub conditione promittas. Si vero interrogation et responsio, si verba congrua idem signare debent, quod solennes formulae, vel personarum praesentia et verba ore prolata, quis quaeſo ex solo interrogationis et responsionis aut congruentiae vocabulo colliget vel diuinando assequetur, praesentiae personarum et verborum ore nuncupatorum solennitatem per interrogationem et responsionem congruam indicari, cum sensus grammaticus tale quid non ostendat, de sensu autem iuridico et terminis artis non constet, nisi clara eorum addatur definitio vel explicatio. Haec in dicto celeberrimi Auctoris loco ob-

A 3

seruare

feruare licuit: non quod putem, a praestantissimo Viro
 veram instituti Romani rationem ignoratam esse, sed quia
 miror et nescio, quo casu factum sic, ut is rem illam in
 elementis ita tradiderit, cum in Syntagmate Antiquitatum
 L. 3. Tit. 15. §. 4. 5. 6. mysterium illud clarius pleniusque
 exposuerit, atque lucem doctrinae alias tenebrofae affude-
 rit. Quare collectis iis, quae Huberus in Pos. ad Inst. h. t.
 et Heineccius c. l. iam obseruarunt, legesque monstrant,
 de stipulationis natura a Romanis formata sic habendum:
 Stipulatio in se spectata nihil aliud est, quam solennis ver-
 borum conceptio, qua consensus tam obligatorius, quam
 ad liberationem tendens exprimi potest, L. 5. §. 1. ff. d.
 Verb. Obl. hinc quosuis contractus, etiam illos, quos Ro-
 mani sensu speciali vocant consensuales, e. g. emtionem,
 locationem ceterosque per stipulationem h. e. verbis solen-
 nibus celebrare licuit. Hactenus igitur stipulatio contra-
 ctus non est. Verum, si nudum pactum obligatorium per
 verba solennia explicetur, existit stipulatio, tanquam pecu-
 liaris contractus verbalis, si consensus liberatorius, tum sti-
 pulatio appellatur acceptilatio, L. 27. §. 2. ff. de Pact.
 Vtriusque igitur stipulationis consideratio cum doctrina ge-
 nerali de pactis conuenit, nisi quod in contractu verbali seu
 stipulatione, speciatim dicta, non solum ad consensum, sed
 etiam verba solennia respiciatur. Illud vero expediendum
 est, quaenam sit illa verborum solennitas? Secundum Leges
 Pandectarum requiruntur 1) verba, hinc non sufficit nu-
 tus vel aliud factum, L. 1. §. 2. ff. de Verb. Obl. 2) verba
 ore prolati, hinc per scripturam aut epistolam stipulatio
 fieri nequit, L. 5. §. 1. ff. d. Verb. Obl. pr. I. d. t. hinc
 mutus, et quicunque articulata voce caret, stipulatio-
 nem celebrare nequit, L. 1. pr. §. 2. d. t. L. 1. §. 14. ff.
 de Obl. et Act. Porro 3) hoc fieri debet inter praes-
 sentes, qui se inuicem audire possunt, pr. et §. 1. I. de
 Verb. Obl. L. 1. pr. ff. d. t. hinc licet per internuncium
 verba nuncupari queant, tamen illa quidem nuncupatio
 non sufficit, nam verborum obligatio inter absentes con-
 cepta

cepta inutilis est, §. 11. I. de inutil. Stip. L. 14. C. de contr. et comm. stip. quemadmodum et surdus impeditur, quia stipulatio confici non potest, nisi utroque loquente et altero alterum audiente, L. 1. ff. de V. O. §. 7. I. de inutil. Stip. 4) Fieri debet interrogatio et responsio *in continenti*, L. 12. pr. ff. de duob. reis const. hinc si alter hodie interroget, alter postero die respondeat, nulla oritur obligatio, nec aliis actus interuenire debet, L. 137. ff. d. V. O. Denique 5) adhibendae erant *certae formulae*, quae etiam solennia verba in §. 1. I. d. V. O. directa verba in L. 10. C. de contr. et comm. stip. item ciuilia et legitima vocantur, quibus opponuntur vulgaria verba, L. 16. ff. de fideicomm. lib. In responsione repetenda fuisse videntur eadem verba, quae adhibita fuerunt ab interrogante, veluti: spondes? spondeo; fide promittis? fide promitto, etc. Interim tamen responsio verbis aequi-pollentibus facta et si ex comparatione cum praecedenti interrogatione consensus percipi queat, etiam sufficiens videtur; nam Vlpianus in L. 1. §. 2. I. de V. O. dicit: Si quis ita interroget: *dabis?* et alter respondeat: *quidni?* et is utique in ea causa est, ut obligetur. Notandum adhuc fore illud stipulationis momentum, quo requiritur etiam intentio seu animus et propositum contrahendi stipulationem seu contractum verbalem. Etsi enim partes videntur verbis solennibus, tamen stipulatio non est, si contrarium probetur, quod non animo stipulantium hoc factum sit, sed tantummodo pacientium, L. 7. §. 12. ff. de pact. Verum de hoc, non est, cur simus adeo solliciti, cum Ictus in eadem lege doceat, ex verbis solennibus praesumi animum stipulantium, ac verba non tantum pactionis loco accipi, sed etiam stipulationis, nisi contrarium specialiter adprobetur.

Tam diu vero duravit ista formularum solennitas, quamdiu perststit in Occidente Romanorum imperium, fortassis etiam quamdiu iuris Romani antiqui usus fuit in Italia.

VIII

Italia. Nam in Oriente, tempore demum Leonis Thracis, solenne formularum carmen displicuit. Sic noua Leonis Sanctione, lege scilicet 10. C. de contr. et comm. stip. magna dignaque strages solennibus illis stipulationibus illata est. Videamus ipsa Legis verba: *Omnes*, inquit Imperator, *stipulationes*, *etiam si non solennibus vel directis*, *sed quibuscumque verbis consensu contrahentium compositae sint vel Legibus cognitae, suam habeant firmitatem.* Leonem de solennibus formulis loqui, non de omni reliqua stipulationum solennitate, manifestum videtur. Nam verba tantum solennia, verba directa, notat eius sanctio, praesentiae vero partium contrahentium et loquela, ceterarumque solennitatum nullam facit mentionem. In summa: conceptas tantum et iure antiquo probatas formulas sustulit, ac in eorum locum quorumuis verborum opportunitatem admisit, quia de verbis tantum loquitur verborumque ad exprimenda animi sensa aptitudine. Illa vero ad vim stipulationis adhuc requiruntur, ut fiat 1) verbis, 2) utroque loquente, 3) praesente, 4) in continenti h. e. sine notabili interuallo. Consentientem habemus Huberum in Pos. ad Instit. L. 2. Tit. 16. de Verb. Obl, posit. 2. *Solennitas verborum*, inquit, *sublata est per L. 10. C. de contrah. stip. §. 1. I. de V. O. At- tamen verba adhuc requiruntur et praesentia partium L. 1. §. 1. b. t. §. 11. I. de inutil. stip. nec id usquam mutatum §. 1. in fin.* Hinc recte monet Vinnius in not. ad §. 1. I. d. V. O. manere etiam nunc in vi obligandi notissimam pacti et stipulationis differentiam. Et ita sane est. Nam pacta Romano iure non absolute requirunt verba ore nuncupata, sed fieri possunt per epistolam quoque et inter absentes, immo et nutu, L. 1. §. 2. et L. 7. §. 12. ff. de pact. Stipulatio vero loquentium praesentiumque verba requirit, d. L. 1. pr. et §. 1. ff. d. V. O. Praecipua cognoscitur diuersitas in effectu. Pacta, nisi accesserit iis praeter consensum traditio, vel solus consensus in quibusdam negotiis antiquitus et iure semper probato,

Qll. diss. A. 214, msc. 27

probato, pro efficaci ad obligandum sit habitus, vel pactum cohaereat cum contractu alio principali, vel quedam pactorum species noua lege ad obligandum firmatae fuerint, nuda sunt, vi obligandi destituuntur, eoque nec actionem efficacem in foro producunt, reliqua soli pudori et conscientiae honestati. Sed laudata verborum solennitas, si addatur pactis nudis, vim obligandi parit, immo peculiarem contractum efficit, actionemque et acceptilatione liberationem ipso iure valentem producit.

Verum de illa nunc videndum Opinione, quae non solum formulas, sed ceteras quoque solennitates Iure ci- uili recentiore abrogatas esse contendit. Habet eam Illu- stris a Leyser ad ff. Sp. 39. med. 5. Nostram, inquit, sententiam ipsi Imperatores in L. 10. C. de contrah. stip. et §. 1. I. de V. O. tuentur, ubi ad hoc, ut actus aliquis stipulationis firmitatem habeat, consensum saltem contrahentium, seu sensum et consonantem intellectum ab utraque parte desiderant. Quibus legibus cum nec praesentia partium, nec verba ore prolati requirantur, adducimur, ut omnem differentiam, quae inter pacta et stipulationis intercessit, non demum iure Canonico, sed ipso iure Romano recentiore sublatam, et leges, in quibus vis obligandi pactis nudis detrahitur, ad ius antiquatum referendas esse credamus. Liceat contra hanc opinio- nem aliquid monere. 1) Imperator Leo, vti ex disser- tis d. l. 10. verbis apparet, et supra iam a nobis adno- tatum est, de solennibus tantum formulis loquitur, praesentiae partium contrahentium et verborum ore prolatorum nullam facit mentionem. Talia igitur sunt praedicata, qualia permittuntur a suis subiectis, et abrogatio ad conceptas solum formulas, non ad reli- quam stipulationis solennitatem pertinet. 2) Non opus erat solennitatem praesentiae, loquelaet temporis re- quirere denuo, cum legislator de his nihil noui con- stituat,

B

stituat, eas vero non abrogauit, quia in Lege abrogante eas non commemorauit. Cuius in abrogatione nulla fit mentio, eius facta non est abrogatio. 3) Hanc nostram Legis 10. C. de contrah. stip. explicationem confirmat §. 1. I. de Verb. Obl. Nam Imperator Iustinianus diserte indicat ac velut digito monstrat, quid constitutione Leonina sit abrogatum. Primo enim recenset inanes formularum cantilenas, quae olim usitatae fuerint. Spondes? spondeo. Promittis? promitto, etc. ac deinceps statim subiungit, quid sibi videatur de his formulis et quid Leoni visum. Sed haec, inquit, *solennia verba*, olim quidem in usu fuerunt, postea Leonina constitutio lata est, quae, *solemnitate verborum sublata*, *sensum et consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderat*, quibusunque tandem *verbis expressum*. 4) Nec est, quod dicas, per solennitatem verborum sublatam intelligi non solum conceptas formulas, sed etiam verba a praesentibus ore proleta in continent, cum Imperator hoc quidem loco non restricta, sed generali oratione solennitatem verborum exprimat: non est, inquam, quod haec opponas, nam restrictam locutionem ostendit substrata materia, de qua sermo est, scilicet antecedens formularum commemoration, cum qua ea connectuntur, quae de sublatione sequuntur. 5) Immo ex §. 7. I. de inutil. stip. manifesto appareat, solennitatem praesentiae et verborum ore nuncupandorum abrogatam non esse: nam mutum neque stipulari, neque promittere posse, palam est, inquit Imperator. Quod et in surdo receptum est, secundum d. §. quoniam et is, qui stipulatur, verba promittentis, et is, qui promittit, verba stipulantis audire debet. Quod sane tanquam necessitatem legalem urgere non potuisset legislator, si ista omnia sublata fuissent Leonina constitutione, ad quam prouocatum est §. 1. I. de V. O. 6) Adde quod a Iustiniano, de scriptura, quae inter praesentes rem actam esse dicit,

dicit, cauetur, pro vero habendum esse illud testimonium et praesumtionem pro praesentia vtriusque personae, nisi is, qui dicit, sese vel aduersarium abfuisse, liquidis ac manifestissimis probationibus ostenderit. Qua quidem constitutione, praesumtione, contraria probatione opus non fuisset, si praesentiae paciscientium et verborum ore proferendorum necessitas a Leone vel Iustiniano abrogata fuisset. Consentit Huber. in loco supra allegato ad Instit. L. 2. Tit. 16. de V. O. pos. 2. Vinn. in not. ad §. 1. I. d. V. O. Hopp. in comment. ad d. §. L.

Reliquum est, vt etiam dicamus de *Vsu Stipulationis* et quae sit, quod ad hanc quaestione, temporum atque sententiarum diuersitas. Apud Romanos, ex hypothesi de pactis nudis, magnus fuit stipulationis usus: nam pacta illa reddebantur ad obligandum et ipso iure liberandum efficacia, quando accedebat verborum solennitas. Hinc consensus de pecunia mutuo danda, de re in depositum accipienda, de rebus permutandis, ante traditionem in contractibus realibus et innominatis inveniendis, nudus existebat, per stipulationem non nudus vimque obligandi accipiebat. In priuis necessaria erat stipulatio, quando partes consentiebant in fideiussionem, nouationem, delegationem aliaque negotia, quibus nulla fieri poterat traditio. Item magna stipulationis vtilitas erat, quando laudata verborum solennitas in contractibus innominatis, re ab altero tradita, impediebat poenitentiam et repetitionem, l. 4. l. 7. C. de Rer. perm. et acceptilatio obligationes ipso iure tollebat, l. 5. ff. l. 2. l. 3. C. de Acceptil. §. 1. I. Quib. mod. obl. toll. Quae singula aliaque huc pertinentia in praesenti persequi non licet, conf. Huber. Instit. Tit. de V. O. pos. 4. 5.

B o

Has

Has stipulationum subtilitates aliae gentes non re-
ceperunt, sed omnia pacta modo perfecta et serio inita
vim eandem habent, quam stipulationes Romanorum.
Certe Germani, vti hisce formulis nunquam vſi, neque
candori suo distinctionem pactorum nudorum et non
nudorum conuenire rati sunt, ita hodienum inter pa-
ctum et stipulationem nihil statuunt discriminis. Hei-
necc. Elem. Iur. Tit. de Verb. Obl. §. 838. Huber ad I.
d. V. O. pos. 6. Titii Obs. Lauterb. 57. et 1152. Berger
in Resol. Laut. p. 77. in Oecon. Iur. L. 3. t. 1. §. Leyser
Sp. 39. med. 4. Quare nec opus ad Ius Canon. et qui-
dem c. 1. et' 3. X. de Pact. prouocare, et nemo fere erit,
qui de moribus Germanorum haetenus dicta inficietur.
Tamen circa contractus innominatos alii, quin et illi,
qui alias principium Germanicum antea laudatum pro-
fitentur, nostra patrumque aetate, aliter senserunt, im-
mo praeiudiciis sententiam suam firmarunt, v. Mencken.
Theor. et Prax. π. Tit. de Contract. innom. §. 1. Tit. de
Rer perm. §. 2. Tit. de Verb. Obl. §. 1. Nec deesse illis
videtur rationes, quibus opinionem suam defendi pos-
se existimant. Consensum v. g. de rebus permutandis,
pactum solummodo praeparatorium esse sumunt, ideo-
que poenitentiam circa illud licitam. Sed, ponamus,
veram esse illam hypothesin, sufficit, verum adesse con-
fensem, adesse obligandi intentionem. Sane pactum
de emendo omnes agnoscant pro valido, cur non et pa-
ctum de permutando? Secus est, si id, quod partes
egerunt, in nudis, quos vocant, tractatibus, h. e. de
liberationibus substiterit, aut si talis quidem actus per
pactum praeparatorium intelligatur. Verum, quod de-
inceps obseruandum, vel ex ipsa Romanorum hypothesis,
cui dissentientes inhaeserunt, falsum est, quod pactum
de rebus praeparandis semper sit praeparatorium: im-
mo vero ex regula iuris ciuilis est ille, quem pro pacto
praeparatorio habent, consensus prima pars substantialis
contractuum innominatorum, quemadmodum altera est
prae.

praestatio rei vel facti. Quodsi vero hypothesin Germanorum seruas, tum contractus innominati ad sui perfectionem nihil amplius, nisi mutuum consensum requirunt. Consensus v. g. de re permutanda, moribus Germanorum est contractus principalis, seu ipsa permutatio. Atque sic in ceteris. Praestatio autem rei vel facti ad consummationem pertinet, sicut in Emptione Venditione fieri solet. Quod denique ad facultatem poenitendi, qua is, qui e sua parte impleuit promissio nem, datum, licet accipiens promissum implere paratus sit, L. 2. 3. 5. pr. §. 1. seqq. ff. de Condict. caus. dat. caus. non sec. L. 5. §. 1. ff. d. P. V. reuocare potest, dd. LL. secundum hypothesis Iuris Germanici, ni contradictionem veritati et euidentiae rei praeferre malis, hoc itidem aliter se habet, ob efficaciam pactorum, quae vim stipulationum habent. Schilt. Ex. 32. th. 11. Stryk. de Caut. Contr. S. 3. c. 5. §. 4. Tit. I. Prin. L. 4. c. 13. §. 5. et 9. Boehmer. Digest. Tit. de Praeser. Verb. §. 3. Profecto, si ex principio Germanico, consensu perfe cte dato, ante traditionem rei poenitere non licet, multo minus hoc licitum erit, re data, nisi poenitendi facultas ex regula Romani Iuris, alicubi etiam in Germania recepta sit; quo respexisse videtur praeiudicium apud B. Mencken. in Theor. et Prax. π. Tit. de contract. innominat. §. 4. Hodie sane recessum est ab antiqua illa sollicitudine, et quod Maioribus vestigia Romanorum prementibus olim placuit, nunc ex melioribus rationibus pronunciando et respondendo displicet, quod displicuit, placet.

Sed diutius huic inhaerere argumento, alia non permittunt. Superest enim, ut quaedam de Clarissimi Candidati nostri ortu, moribus, vita et eruditione, quam sibi indefesso acquisiuit labore, commemorem. Quae huc pertinent, a se ipso concepta hic referto:

XIII

Natus sum anno huius seculi XXVIII. d. XV.
Septembris, Patre Ioanne Guilielmo, Regio Steu-
rarum Procuratore, Matre Maria Tesmeria. Pri-
mis literarum rudimentis priuatim domi institu-
tus, annum agens duodecimum ludum literarium
Portensem adii, ibique sub Magistris Freytagio,
Walthero, Am Ende, Stubelio, Peucero, Hent-
schelio, Geislero, Heymanno et Hübschio disci-
plinis nauauit operam. Lipsiam me contuli
anno praesentis seculi XLVI. Doctores secu-
tus sum in Historia et Philosophia Summe Reueren-
dum Ioecherum et Crusium, in Iurisprudentia Il-
lustrem Bauerum, nec non Viros Consultissimos
atque Excellentissimos Hommelium, Sigelium,
Menckenium, Sammetium et Franckium. Anno
Seculi nostri L. examen, quod pro Candidatura vo-
cant, subii, quo superato, exhibitisque speci-
minibus reliquis, facultas in foro causas orandi mihi
est concessa.

Nunc a Nobis, vt ipsi Iura et priuilegia' Licentiato
ac Doctori Iuris vtriusque competentia decernerentur,
rogauit. Instituto eum in finem examine rigoroso, ita
se exhibuit, vt communi consensu omnino dignus iu-
dicaretur, qui voti sui compos esset. Proxima Mer-
curii die Hora II. pomeridiana l. 5. C. de haered. vel
act. vend. in Auditorio nostro Petrino interpretabitur,
et demum subsequente Louis die Exercitationem inau-
guralem de crimine termini moti sine Praeside defen-
det. Quibus peractis, Vir Illustris, Dn. ADRIANVS
STEGERVS, ICTVS POTENTISSIMO POLONIA-
RVM REGI ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS
AVLAE, Supremae Curiae Prouincialis, Consistorii Ec-
clesiastici et Iudicij Prouincialis in inferiore Lusatia at-
que Facultatis Nostrae Affessor, nec non Ciuitatis
Lipsiensis Senator grauissimus, cui ego ad hunc actum
con-

constitutus Procancellarius, Ordine approbante, Promotoris vices delegaui, Doctoris utriusque iuris dignitatem ac prerogatiwas, sola excepta ad Facultatem nostram adspirandi spe, ritu solemni die eodem impertiet. Quem actum, ut RECTOR MAGNIFICVS Comites Illustrissimi, Patres, Proceres et Ciues Academiae nostrae praesentia sua exornare dignentur, ea, qua pars est obseruantia et humanitate rogo atque contendō. P. P. Lipsiae Dom. Quasim. An. MDCCCLII.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



VII

97 conseruisti O ambo ambi que dico
In nobis et in omni terra quod est deus in aliis et
deus noster in terra nostra et deus noster in aliis et
deus noster in terra nostra et deus noster in aliis et
O ambo ambi que dico O ambo ambi que dico
dico et dico et dico et dico et dico et dico et dico
et dico et dico et dico et dico et dico et dico et dico
et dico et dico et dico et dico et dico et dico et dico
et dico et dico et dico et dico et dico et dico et dico

98 A T E C S I S
K A T H E D R A L E C C L E S I A

